Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25999
Copyright: Admont, Benediktinerstift

data. faciet iusticiam reddendo unicuiq; secundum opera sua. Hec dixit. et deinceps
passiones iusti huius suis passionibus percucurrit. et ut supius iam dictum est in
typum eius qui mortuus morte superatus. templo diruto atq; civitate exter-
minata. gentes erat docturus. iste quoq; templo et civitati superstes. nec mor-
tuus quamvis multa passus. ceteris prophetiam tenuit nationibus. At nos nec
facultatem nec propositum habentes ut cuncta prosequamur. plurimum hysto-
xii rie campum. multamq; prophetie eius silvam pretermittentes. ad lamentationes eius
articulum VERTAMUS. XII.

LAMENTATIONES prophete huius sancti et sapientis veram esse scientiam arbitra-
mur: earumq; circa materiam versari rerum. quarum ad cogniti-
onem nos pueri sive infantes sumus. quippe qui non nisi temporalem mise-
riam temporaliumq; rerum dampna deflere novimus. et si temporalis
iocunditas arrideat. captivitatis nostre obliviscimur. in qua nati sumus. Pul-
chre nobis hoc significatur in eo quod singule istarum lamentationum senten-
tiole singulis alfabeti litteris prenotantur. Quid enim nobis per hoc innuitur.
nisi ut humili conscientia nos parvulos esse iudicemus. quatinus illorum de clara-
tione sermonum illuminari digni habeamur. Scriptum namq; est.
Declaratio sermonum tuorum illuminat. et intellectum dat parvulis. Igitur
ad istud alfabetum quadruplici ordine distinctum. tamquam pueri abe-
cedarii disponamur: sub istis vocibus contineri non dubitantes scientiam
que abscondita est sapientibus et prude ntibus. ut nec prima noverint ele-
menta luctus eius de quo veraciter dictum est. beati qui lugent. quoniam ipsi con-
solabuntur. Primum hic intelligentie ostium est. scire cur lamentationum atq;
alfabeti ordo sit quadruplex. Aperiat nobis clavis David. et videbimus quod viro
huic serio lamentandi causa vel materia quadruplex fuerit. Prima
namq; causa extitit universalis captivitas humani generis. qua pro-
iecti et dispersi sunt omnes filii dei. in primis carnis sue parentibus gratis venun-
dati. et preiudicium passi. Secunda causa hec erat ipsius dei captivitas babylonica
quam sub oculis viderat. per quam non lamentari durum fuisset et iniquum. preserti-
cum ecclesia dei templo quoq; et altari nominis domini viduata. compelleretur barbarorum
venerari portenta deorum. Tercia causa viro sancto erat propria conscientie humilitas.
qua quanto iustior erat. tanto veri preter commune omnium filiorum dei captivitatem
propri status exilium agnoscebat. Quarta erat causa captivitas ista deterrima. qua
iudeos ut nunc accidit casuros in ore gladii. et captivos in omnes gentes ducen-
dos fore previdebat. Hec enim ista absq; conpassionis affectu captivitatem
preserire poterat. quippe quam dominus ipse previdens. super ipsam civitatem mise-